



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola LVII. Ioannis Papae VIII. Ad Archiepiscopvm Ravennatem. Praecipit
vt cum suis suffraganeis ad Concilium accedat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

1. Reg. 15. tam sancto numerosoque fratrum deesse collegio patimini: quia nos, mihi credite, nullius vestrum casum exquirimus; absit. Verumtamen nisi ad hanc saltem præsignatam vniuersalem Synodum accesseritis, communi cunctorum sententia canonicis legibus subdemini, & pro tanta inobedientia merito puniementi. *Est enim*, Samuele sancto docente, *quasi peccatum ariolandi, repugnare; & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.* Data vi. Kalendas Iunii, in dictione x.

EPISTOLA LVII.

IOANNIS PAPÆ VIII

AD ARCHIEPISCOPVM RAVENNATEM.

Præcipit ut cum suis suffraganeis ad Concilium accedat.

*Ioannes archiepiscopo Rauennati.*2. Tim. 3.
Luc. 21.Mich. 7.Cant. 6.

QVIA iam ad periculosa peruenimus ab Apostolo quin potius a Domino prædicta, proh dolor! tempora: *Surgit enim gens contra gentem, & sunt inter alia inimici hominis domestici eius: creuerunt inopinabiliter mala, & non solum extrinsecus rabie infidelium barbarorum atterimur; sed & intrinsecus peruersitate nequam Christianorum affici- mur.* Verum quanto crebrescant mala prauorum, tanto crescere debent bona rectorum. *Quæ profecto fieri nequeunt, nisi per commune fratrum collegium in idipsum corpore simul & mente conuenientium.* Est enim ecclesia Dei propter concordiam tam visibilis, quam inuisibilis hostibus omnino terribilis, & velut castrorum acies ordinata. *Quapropter tam pro ecclesiasticis quibusdam necessitatibus, quam pro statu & pro correctione reipublicæ, auctoritate apostolica decreuimus reuerendorum fratrum & coepiscoporum nostrorum Italici regni vniuersale, id est, totius prouinciarum, aduocare Concilium, locum autem nusquam ad hoc gerendum aptiorem & faciliorem, quam apud Rauennam vndique confluentibus inueniri posse perfeximus.* Occurrat igitur alacriter cum suffraganeis suis, quos ipsa conuenire commoneat, ad designatam urbem sanctitatis fraternitas, & tanto deesse Conuentui, quem scilicet ibidem octauo Kalendas Iulias, celebraturi sumus, nullo modo perferat, quo pullulantia in agro do-

minico zizania communi studio radicibus amputentur; & salubrium virtutum germina socio pro his certamine penitus inferantur. Fratres præterea & coepiscopos nostros, qui sub beatitudine vestra degunt, ad eamdem vniuersalem Synodus hortatu sanctitatis vestræ venire præcipimus. Quisquis autem occurrere sanctitati tuæ forte contempserit, canonice se nouerit increpationibus procul dubio submittendum, in promptu, secundum Apostolum, nobis habentibus omnem vlcisci prorsus inobedientiam. Hanc vero apostolatus nostri epistolam vel exemplaria illius, beatitudo vestra in dioecesi sua omnibus indifferenter episcopis parare faciat; ne aliquod possit ab inobedientia excusationis, quod non expedit, velamen obtendi.

E P I S T O L A L V I I I .

I O A N N I S P A P A E V I I I .

A D A Q V I L E E I V S .

Quæ de eo sinistre ferebantur, in generali Concilio canonice terminanda significat.

*Ad * Aquileius.*

* factio
Aquilei-
enjems.

* for. in-
tegrius

NO V I M V S vestram beatitudinem a nonnullis de quibusdam sinistri diffamari, quod profecto in synodali est Conuentu ^{*} interius & perspicacius ventilandum, & secundum sui qualitatem, regulari censura modis omnibus finiendum. Sed credimus, diuina fauente gratia, vos coram positos, ita insontes inueniendos, ut veritas exagata non de vobis cceni, quod absit, sed vnguenti commoti iucundum reddat odorem; nisi forte absentia procurata, vera quæ dicuntur de vobis comprobet, & pœnam merito irroget: quæ si adesset, magistra iustitia forsitan retudisset. Data vi. Kalendas Iunii, indictione x.